

(c) Directum: (quod Practici superius das Oberoder Grund-Eigenthumb appellitant, unde Dominus directus seu proprietarius der Eigenthumb Herr / Erb Herr:) est, quando quis tantum habet rei proprietatem. Hoc habet (1) Dominus superficiem *arg. l. 1. § 4. de superficiebus.* (2) dominus feudi *arg. 2. Feud. 8. §. quavis, 2. Feud. 47.* (3) dominus Emphyteuseos *arg. §. 3. Inst. de locat. & conduct. l. 1. & 2. C. de jure Emphyteut.*

(d) Utile, quod & inferius das unterer niedere oder nühbare Eigenthumb / practicis dicitur est, quando quis habet plenum rei fructum, & competit (1) superficiario, *arg. l. 73. §. 1. § l. 74. ff. de rei vindicat. l. 3. §. pen. de nov. oper. nunc.* (2) Vasallo *arg. 2. Feud. 8. vers. Rei autem, 2. Feud. 23. in fin.* (3) Emphiteuticatio *l. 71. §. pen. & l. ult. de legat. i. junge Schneid. ad §. sing. ii. Inst. de rer. divis.* Ceterum dominium minus plenum nominatim a veteribus Jctis usurpatum non legitur, teste Forstero de dom. c. 5. nec agnoscunt ex recentioribus Giphanius ad §. sing. Inst. de rer. divis. Treutler. vol. 1. disput. 15. th. 1. lit. g. Quibus jure merito contradicunt Bacchov. ad Treutl. dict. disp. 15. Zoefius d. acq. rer. dom. n. 5. Wesenb. in par. ibid. num. 4. Multa enim a recentioribus facilioris explicationis gratia sunt adinventata veteribus incognita, verba sunt Zoefu laudato loco.

X.

Ex accidenti dominium aliud est revocabile (a) aliud irrevocabile. (b)

(a) Illius refert exempla Dn. Hahn. ad Wes. de R. V. num. 3. scilicet, dominium ad certum tempus wiederkaufflich / vel sub certis conditionibus acquisitum, *arg. l. 66. eodem literas ejus tenoris exhibet Adamus Volckmannus de arte Notariatus part. 1. cap. 31. p. m. 145.* item: dominium quod habet bonæ fidei possessor respectu alterius non domini *arg. l. 24. §. ult. ibi: quamdiu non evictus fundus fuerit de usur.* hujus indolis est etiam illud quod maritus habet in re dotali constante matrimonio; potest enim uxor, si maritus vergat ad inopiam, vi hypothecæ civile ejus dominium revocare *per l. 30. C. de jure dotium.*

(b) Hoc quale sit ex oppositi naturâ omnium restissime apparet.

XI.